DIONYSII LAMBINI MONSTROLIENSIS, REGII GRÆCARVM LITTERARVM

doctoris oratio, Lutetiæ Idib. Ianuariis, pridie quàm Homeri Iliadis librum A. explicare inciperet, habita.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,

Apud Andream Wechelum.

1562.

DIONYSII LAMBINI MONSTROLIENSIS, REGII GRÆCARVM LITTERARVM doctoris oratio, Lutetiæ Idib. Ianuariis, pridie quàm Homeri Iliadis librum A. explicare inciperet, habita.

NIHIL erat, auditores, quamobrem tertiam apud vos ex hoc loco orationem haberem, etiã ſi, poſtea quàm huic regio publicè docẽdi muneri præpoſitus ſum, noua res interuênit. Nam ſiue, vnde hæc nata ſit commutatio, vt, qui paulò antè litteras Latinas docebam, is nunc ſcriptores Græcos vobis interpretari incipiam, ſcire vos oportet: hoc ipſum ex duobus collegis meis hominibus doctrina præſtantibus cognouiſtis, quorũ alter in locum meum ſucceſſit, alter prouincia ſua mihi tradita, Franciſci Vicomercati, quem honoris cauſa nomino, locum à Rege iuſſus eſt obtinere: ſiue ad linguę Grę-

cæ, cuius docendæ onus mihi item à Rege nuper admodum impoſitum eſt, ſtudium cohortandi eſtis, non dubito, quin veſtra ſponte ſatis excitati ſitis, neque mea cohortatione magnopere egeatis: ſiue de Homero, eximio & planè diuino naturæ partu, quem poëtam hodie ſuſcepi vobis explicãdum, verba facienda ſunt: neque vnde exordiar, neque quo pacto orationis de eo ſemel inſtitutæ exitum euoluã, facilè diſpicio. Veruntamen quia hodierno die in conſpectum veſtrum nouus quodam modo prodeo: hoc eſt, non is, quẽ antea ſcriptores Latinos explicantem audire ſolebatis, ſed qui nunc ex vberrimis & liquidiſſimis Græcorum fontibus bene dicendi, benéque agendi præcepta, omnium denique rerum humanarum cognitionem vobiſcũ haurire incipio, conſtitui prius quàm Homerum attingam, prætermiſſa illa orationis parte, quæ de noſtrorum munerum, noſtrarúmq; partium permutatione erat futura, primùm pauca de litterarum Grȩcarum vtilitate, deinde non nulla de Homeri præſtantia dicere: quod vtrunque dum quambreuiſſimè poſſum, percurro, quæſo, vt me, quemadmodum anteà conſueuiſtis, attentè & ſilentio audiatis. Principiò igitur minimè illud quidem vereor, auditores, ne quis veſtrũ quid dicam vtile, ſubtiliùs à me poſtulet declarari, præſertim cum apud tales homines verba faciam. Sed tamen ea, opinor, vtilia dicenda ſunt, quæ ad vitæ

com-

communis cultum: quæ ad ſocietatẽ ciuilem conſeruandam: quæ denique, ad hominum tùm ſingulorum, tùm vniuerſorum vitam tuendam, atque ornandam pertinẽt, ita ſcilicet, vt ab honeſto nullo modo ſeparentur. Si quæ autem res ſunt huiuſmodi, eæ profectò hoc nomine vidẽtur eſſe digniſſimæ, quas artes appellamus. Harum enim adiumento conſecuti ſumus, ne veluti in tenebris ſemper erraremus, ſed potius, quæ eſſent in natura rerum diſperſa, vaga, atque infinita ita, vt neque intelligentia cõprehendi, neque ſenſu percipi poſſent, ea ſub vno quaſi aſpectu poſita cerneremus. Iam artium aliæ in ſola cognitione & contemplatione verſantur, earúmque finis eſt ipſius cognitionis fructus, nempe veritas, quas θεωρητικὰς Græci nominant: aliæ ad cognitionem antegreſſam, actionem præterea aſſumunt, earúmq; finis eſt quædam actionis bonitas, ac prǽſtantia, quam εὐπραξίαν appellant: hæ autem artes à Græcis πρακτικαὶ dicuntur. Aliæ in aliqua re efficienda ſunt occupatæ: atque harum finis opus eſt aliquod, vt medicinæ corpus ſanum, picturæ tabula picta, artis ædificandi domus: quæ ποιητικαὶ nominantur. Omnes igitur artes, quę his tribus generibus ſubiiciuntur, exceptis fortaſſe non nullis, quæ in efficiendo conſiſtunt, ſi verum quærimus, à Græcis aut inuentas, aut perfectas eſſe reperiemus. Cuius rei ſi nullam aliam rationem afferrem, quàm quòd illæ ipſæ ar-

tes vno verbo omnes, ne in ſingulis enumerandis
tempus conteram, Græcis nominibus appellãtur,
Latinis carent, vſque adeò, vt quoties eas volumus
appellare, Græca nomina cogamur mutuari, atq;
vſurpare: ſi hoc, inquam, vno vterer argumento,
quòd illarum omnium artium nomina apud Lati-
nos, apud nos, apud Hiſpanos, apud Germanos, a-
pud omnes nationes humanitate expolitas Græca
ſunt, æquo rerum exiſtimatori hoc ſatis eſſe debe-
ret. Veruntamen harum non nullas percurramus,
earúmq; originẽ, progreſſum, atq; vtilitatẽ breui-
ter perſequamur. Atq; ab iis, quę in contẽplatione
poſitæ ſunt, ordiamur: quę cum in tria membra ab
Ariſtotele diuiſę ſint, phyſica, mathematica, theo-
logica: de phyſicis primùm videamus. Iam hoc
nomen videtis eſſe Gręcum à natura, quam illi φύ-
σιν nominant, ductum. Eſt enim phyſici naturam
rerum occultam, inuolutam, atque obſcuram per-
ſcrutari, explicare, atq; illuſtrare: quod Græci cum
primis ſtudioſè factitarũt. Sequuntur deinceps ar-
tes mathematicæ παρὰ τὸ μανθάνειν, quod valet diſce-
re: vel quia ſine magiſtro & doctore ſciri nõ poſ-
ſunt: vel quia in primis, & præcipuè ſunt diſcen-
dæ, neque quiſquam vllam artem omnino prius
attingere debet, quàm mathematicis artibꝰ ſit in-
ſtructus atque imbutus, aut certè mediocriter tin-
ctus: quarum alia numerorum rationes, ac natu-
ras conſiderat, quæ arithmetica nominatur: alia
linea-

linearum,& magnitudinum dimenſiones ac proportiones, quæ geometria: alia locorum atq; interuallorum varietates, diſtinctiones, conuenientias, quæ muſica: alia motus,curſus, ortus,obitus ſiderum, quæ aſtronomia. Atque hæ artes tametſi ſola ſint cognitione cōtentę,ſi quis eas tamen ad vſum vitæ quotidianæ conferre volet, reperientur vtiliſſimæ: arithmetica ad rationes referendas, ad diſtributiones faciendas, ad deſcriptiones tributorum,ad rerum permutationes, ad res contrahēdas: geometria ad caſtrorū metationes, ad agrorū diuiſiones,ad ædificiorū extructiones, ad oppidorum propugnationes,atque oppugnationes: muſica ad animos & cum iacent,extollendos,& cū languēt, recreādos, & cum perturbati ſunt,ſedandos, ac trāquillandos,ad dies feſtos,ad epulas,ad pompas,ad hymenæos: aſtronomia ad agriculturā,ad nauigationē, ad ceterarū rerū,& actionum humanarum opportunitatē.Hę igitur artes à quibus ortæ,aut certè à quibus egregiè præter ceteros cultæ, celebratæ,amplificatę ſunt?nōne à Græcis?quibus potiſſimū litteris continētur?nonne Gręcis?Quòd ſi ad theologiam non illam à veteribus philoſophis inuentam,ac tractatam, vanam,opinabilem, fabuloſam: ſed ad hanc noſtram,veram, certam, Chriſtianam,oculos referre volemus, qui homines eam nobis pleniſſimè, diſertiſſimè, ſinceriſſimè tradiderunt? nonne Baſilius magnus, Grego-

riusNazanzenus, Iuſtinus martyr, Chryſoſtomus, Theophylactus, Theodoretus, ceteri Græci, quos referre longum eſſet? Iam verò (vt ad eas artes, quæ in actione conſiſtunt, quæque πρακτικαὶ nominantur, veniamus) tota diſputatio de moribus ac virtutibus, quam ethicam dicimus: ratio ciuitatum regendarum, quam politicam: rei familiaris adminiſtratio, quam œconomicam: ars bene dicendi, noſtrarum cogitationum interpres ac nuncia, flexanima, hominum regina, quam rhetoricam Græco nomine vſucapto appellamus, bene diſſerendi ratio ei altera ex parte reſpondēs, eíq; quàm ſimillima, & (penè dicam) gemina, quæ dialectica nominatur, quorum hominum ſunt vel inuenta, vel monumenta? nonne Græcorum? quis hodie vel de rep. bene gerenda, vel de re familiari tuēda, vel de moribus conformandis, de cupiditatibus coërcendis, de virtutibus expetendis, de vitiis fugiendis, acutè, ſubtiliter, diſtinctè, copioſè, grauiter aut ſcribere, aut dicere, aut omnino cogitare inſtituit, niſi Græcorum ſcriptis, tāquam oraculis quibuſdam aditis & conſultis? Medicina, pictura, ſtatuaria, architectura, ceteræ artes, quæ ad effectionē pertinēt, à quibus nationibus aut meliùs tractatæ, aut latiùs prolatæ, ac propagatæ ſunt, quàm à Græcis? Spirant adhuc, & viuunt in Græcorū & Latinorum ſcriptis nobilium medicorum, pictorum, fictorum, architectorum ingenia: quorum nomi-

nomina ſi vobis cõmemorare velim, mihi ſit verendum, ne cui veſtrum & ſilentio veſtro, & tempore meo videar abuti. Philoſophia porrò, quæ omnium artiũ inſtar eſt, quæ ceteras omneis arteis complectitur, & cõtinet: quæ nihil aliud eſt, quàm rerum diuinarum, atque humanarũ ſcientiã, dux vitæ, naturæ indagatrix, virtutis parens, morũ magiſtra, regnorum moderatrix, ſocietatis ciuilis cuſtos, à quibus ſi nõ orta, at certè in lucem prolata, plurimúmq; illuſtrata eſt, niſi à Græcis? quorũ eſt alumna, præter quàm Græcorum? Ipſum philoſophiæ nomen, num eſt Arabicum? num Perſicum? num Aſſyrium? num Punicum? num Latinum, aut Gallicũ, aut Hiſpanienſe, aut Germanicum? Primi philoſophi, quorum quidem nomina extẽt, Thales, Anaximãder, Bias, Anaximenes, Anaxagoras, Archelaus, Solon, Leucippus, Democritus, Heraclitus, Parmenides, Empedocles, Protagoras, complures alii, cuiates ſunt? Græci. Plato, Xenophõn, Ariſtoteles, Theophraſtus, Plutarchus, quorum libris, tanquam fidis cuſtodibus mandata philoſophia, ceterorum ſcriptis, neſcio quo fato, extinctis vſque ad noſtram ætatem ſalua peruênit, nonne Greci ſunt? Et cũ hęc ita ſint, tamen audientur importuni quidam homines diſputantes, ex Græcis litteris plus detrimenti hominum vitę eſſe importatum, quàm commodi partum? non iam diſſimulanter, & obſcurè, ſed palàm & apertè, ſapien-

tiſſimi, fortiſſimi, potentiſſimi Regis Franciſci primi conſilium, factúmque damnantes? quem nos etiamnum meminimus, neque verò vlla vnquam poſteritas obliuiſcetur, membranas & chartas veteres, ac manuſcriptas, innumerabili pecunia inſumta, vſque ab vltimis Græciæ, ac Thraciæ finibus arceſſiuiſſe. Qui ſi reuiuiſcat, quam aliam in iſtos Græcarum litterarum, bonarúmque artium hoſteis pœnam excogitaturum putatis, niſi vt in omnibus rebus agendis cæcutiant? hoc eſt, totam ætatem omnium litterarum, omníſque humanitatis expertē traducant? Exortum eſt alterum repreheſorum, ac ſycophantarum genus priore illo nihilo mitius, aut lenius, imò fortaſſe infeſtius, capitalius, ac pernicioſius. Aiunt autem hi nihil eſſe quòd ſe adoleſcentes Græcarum, & ceterarum litterarum ſtudio macerent. nam vel nihil eſſe Græcè ſcriptum, quod in linguam noſtram verſum nō ſit; vel etiam ſi omnia Græcorum ſcripta non ſint in Gallicum ſermonem conuerſa, nos tamen & ſcriptis noſtris contentos eſſe debere, & illorū litteris ſine incommodo noſtro carere poſſe. O maleuolos, ſi alienæ inuident induſtriæ: curioſos, ſi alienis negociis ſe vltrò implicant: ignauos, ſi laboris fuga riuulos cōſectari, quàm è fontibus haurire malunt: ſtolidos, ſi quæ ſunt de Græcis cōuerſa (idem autem de ceteris linguis ſentiendū) cum iis, vnde ſunt conuerſa, exiſtimant vlla ex parte eſ-

ſe

ſe conferenda. Sed quanti eorum de litteris Græcis faciendum iudicium eſt, qui harum litterarum elementa ne aſpexerunt quidem? qui neque huius linguæ dulcedine allici, neque earum rerum, quæ hac lingua continẽtur, vbertate, & copia commoueri vnquam potuerunt, vt breuem diſcendi laborem magni fructus, magnæque voluptatis cauſa ſuſciperent, ac perferrent? Quod ſi feciſſent, non dubium eſt, quin vbi vel orationis delicias, illecebras, nectar merum ſummis duntaxat labris deguſtaſſent, vel ſententiarum grauitatem, rerúmq; magnitudinem, ac maieſtatem animo, ac ratione cõprehendiſſent, longè aliter de ſcriptis Græcorum fuerint ſenſuri. Nam, prò Deûm, atque hominum fidem, apud quos nata, alta, adulta, corroborata eloquentia eſt? apud Græcos. à quibus vel inuenta, vel ſuis omnibus partibus, ac numeris abſoluta philoſophia? à Græcis. qui primi poſt homines natos poëticam vel profeſſi ſunt, vel ad ſummum faſtigium perduxerunt? Græci. à quibus (Hebręos excipio) leges optimæ conditæ, iuráque æquiſſima ſuis ciuibus deſcripta, ad alias omneis genteis permanarunt? à Græcis. ad quos miſſi ſunt à populo Rom. regibus exactis decemuiri, vt leges ciuitati iam liberatæ vtileis peterent, Románque reportarent? ad Græcos. Qui repetito ab antiquiſſimis poſt Hebræos temporibus principio res geſtas memoria, & cognitione digniſſimas nobis

tradiderunt? Græci. quorum litteris fretæ, atque adiutæ tandem nationes omnes ignorantia fugata, ſcientiam: cæcitate depulſa, oculorum ſanitatem: diſcuſſis tenebris, lucis vſuram cõſecutæ ſunt? Græcorum. Quare quibus litteris nos inſtituti, eruditi, exculti, ab ignoratione vindicati, è tenebris emerſi ſumus, eas litteras audebimus aſpernari, vituperare, oppugnare? præſertim à maximo, cordatiſſimo, ſapientiſſimo, accerrimi iudicij, ſummíq; ingenij Rege, noſtro (inquam) Rege Fráciſco primo, illo, illo Franciſco, cuius memoriam excipiẽt innumerabiles anni conſequentes, ex vltima Græcia repetitas, atque immortali eius beneficio in Galliam noſtram aduectas, & nobiſcum communicatas? Quæ ſi nullæ eſſent, nullæ iam artes homine libero dignæ extarent. At quonam alio modo quiſquam ſuum ſtuporem, ſuam barbariem, ſuam importunitatem, ſuam feritatem declarare ac prodere poteſt? Non cadit profectò in hominẽ vel tã ingratus animus, vel tanta audacia, vel tãtus furor. Monſtrum ac portentum quoddam ſit oportet in vltimas terrarum oras exportandum, qui tam immane facinus, tantúmq; ſcelus animo concipiat. Sed cum exploratum habeam, auditores, longè aliam veſtram mẽtem eſſe, neque dubitem quin veſtrum de Græcis litteris iudicium nihil à præſtantiſſimorũ, clariſſimorúmque virorum, qui in Italia, Gallia, Hiſpania, Germania ingenij ac do

ctrinæ

ctrinæ gloria excellunt, ſenſu diſcrepet, concluſa hac de Græcis litteris oratione, quæ fortaſſe vobis ſuperuacanea meritò videri poſſit, ad Homerum veniamus. De cuius virtutibus ac laudibus ſi ego totum diem conſumerem dicendo: & quid me dico? ſi quotquot vnquam eloquentia floruerunt, laudes Homericas prædicandas ſuſciperent, nunquam tot ornamenta enumerare, atque in vnum aceruum cõgerere poſſent, quin huius poëtæ præſtantia quicquid in eum laudis eſſet effuſum, longo interuallo ſuperaret. Quid eſt enim à poſterioribus cognitum, litteríſque mandatum, ſiue ad ſolam rerum contemplationem pertineat, cuius generis ſunt artes mathematicæ, & rerũ naturalium perueſtigatio: ſiue ad actiones humanas, quo in genere ſunt legum ferẽdarum ratio, ars militaris, tota prudentia ciuilis, rei familiaris procuratio, res ruſtica, nauigatio: ſiue ad artes effectrices, quales ſunt ædificandi, fingendi, pingendi, fabricandi, cudendi, texendi, & ſimiles: quod Homerus non aut perceptum habuerit, aut diuina ſua poëſi adumbrarit? Videtur enim Homerus cum diuinitus in lucem eſſet editus, & (penè dicam) è cælo delapſus, ingenio planè diuino præditus, ſingulari ſapientia ornatus, plurimo & vario rerum vſu inſtructus, philoſophiam venuſtiſſimo, dulciſſimo, modulatiſſimo ſermone Græcis tradidiſſe, ac diuulgaſſe. Sermo autem ille poëticus eſt. Nam ne-

que Ionicum, neque Dorium, neque Æolium, neque Atticum ſermonis genus, ſed totius Græciæ commune ſecutus eſt. Itaque proinde ac ſi apud omneis Græcos, & cum omnibus loqueretur, ſingularum ciuitatum Græcarum vocibus in vnum quodam modo conductis, contractis, & confuſis, iiſque admirabili quadam harmonia temperatis, verſus fecit tùm Græcis omnibus ad intelligẽdum expoſitos, & facileis, tùm ſingulis iucũdos, ac plauſibiles. Apparent autẽ in eis hæc permixta omnia, miro tamen quodã ordine ſeruato, & iucundiſ. cõcentu adhibito: theologia quæ illo tempore colebatur, & florebat: ciuitatum regendarum formæ complures: hominum virtutes, ac vitia: animorũ ſtatus tranquilli, & motus turbidi: res vniuſcuiuſq; partim ſecũdæ, partim aduerſæ: exercitus inſtructi, concurrentes acies, vrbium euerſarum imagines, fugæ, clades, victoriæ. Atque vnumquicque horum habet argumenta diſtincta, ac propria, vt ſi quis cantor organicus ſonos varios quidem illos, ac diſpares, ſed tamen inter ſe concordes, & conuenientes mobilibus digitis eliciat, aut ſi vel Apelles, vel Polygnotus, vel Zeuxis pictam aliquã tabulam, in qua ars cum artis virtute ac perfectione certet, populo ſpectandam proponat: atque ab arte quidem, corporum ac rerum figurę ad veritatem ſint expreſſæ, ab artis autem virtute & perfectione pulcherrima quæque corpora ſint imitata.

ta.

ta: talem vos Homeri poëſim videre putatote. Hæc enim duplex eſt. Si artem poëticam ſpectemus, in fabulæ ſpeciem conformata eſt: ſi philoſophiam fabularum integumētis inuolutam, ad virtutem, & rerum cognitionem viam munit: exempli gratia, inducitur ab Homero in Iliade hinc iuuenis Theſſalus Achilles, illinc vir regia dignitate prædit⁹ Agamemnon: alter ab animi perturbatione ad contumeliam Achilli inferendam incitatus, alter contumelia accepta Agamemnoni iratus: in altero poteſtas, atque auctoritas valent, in altero iuuentę feruor, & conſcia virtus dominantur. Prę-ſto eſt alius ætate grandis, ac maturus, iudicio prudens, ac moderatus, oratione dulcis ac facundus, Neſtor. Accedit alius aſpectu deformis, animo inconſideratus, ac temerarius, ſermone petulans ac maledicus, Therſites: qualem eſſe probabile eſt multitudinem imperitam, atque intemperantem. Huic opponitur vir bonus, & ſapiens, & diſertus, idémque dux callidus, ſollers, tritus atque exercitatus, Vlyſſes: qui ſi quem præſtantem, atque excellentem virum de reditu cogitantem, atque ad naues euntem offendat, eum blandis verbis retinet: quem verò vnum de multis vociferantem, & tumultuantem, & fugientem nactus ſit, eū & oratione aſpera increpat, & ſceptro pulſat. Iam ſi quis ſingulorum mores, & habitus conſiderare volet, in Aiace Telamonio virtutem, in Vlyſſe prudētiam,

in Diomede perſeuerãtiam, in Sthenelo pugnandi ſcientiam, in Aiace Oïleo, & Teucro iaculandi ſine errore peritiam, in Achille fortitudinem & acrimoniam, in Neſtore conſilium reperiet. Abeamus ad Troianos: En tibi Antenor, Lycaon, Polydamas, Æneas, Pandarus, Acamas, aliíque cõplures, omnes inter ſe diſparibus virtutibus pares. En duo fratres multum inter ſe diſſimiles, Hector & Paris. Paris intemperans, Hector temperans: Paris adulter, Hector iuſta vxore contentus: Paris mollis, Hector laboris patiens: ignauus Paris, fortis Hector. Licet alia ſimili modo in Odyſſea percurrere: mulierem pudicam, procis & amatoribus aduerſantem, ac repugnãtem, Penelopen: regem iuſtum atq; in hoſpites benignum, ac liberalem, Alcinoum: virum ſapientem omnibus fortunæ telis oppugnatum, omnibꝰ malis exercitum, atq; oneratum, eundem tamen ſemper erectum, ſemper inuictum, Vlyſſem: adoleſcentem pudentem, probum, in parenteis pium, Telemachum: ſeruũ & ancillam in dominum fideles, Eumæum, & Eurycleam: patrem ſenem deſiderium filij agriculturæ ſtudio lenientem, Laërten: Duas ciuitates longè inter ſe diſſimiles, alteram Phæacum, alterum Ithacenſium: in illa nuptias, cantus graueis, & temperatos, choros legitimos, conuiuia tempeſtiua, ac moderata: in hac ſtupra, cantus molleis, atque incompoſitos, ſaltationes, compotationes,
comiſ-

comiſſationes: in illa principes ius ſuũ cuique tribuentes,legúmque cuſtodes: in hac principes rapaces,iniuſtos, legúmque contemtores:in illa populum conſentientem, & conſpirantem: in hac vulgus diſſidiis, ac diſcordiis concitatum: in illa modeſtiam,& pudorem: in hac petulantiam atq; impudentiam: in illa populum aduenienti regi, tanquam Deo, aſſurgentem: in hac procos regis ſui nuptiis inſidianteis: Poſtremò præmium vtrorumque ciuium moribus,& factis conſentaneum: illis ocium,tranquillitatem,lætitiam,in mari claſſeis,in terra omnium frugũ,ac fructuũ vbertatem: his interitum repentinum, atque in mediis voluptatibus oblatum: quas quidem duarum ciuitatũ imagines non melius in clypeo Achillis expreſſit auro Vulcanus,quàm verbis Homer⁹.Quid quòd etiam ea,quæ ad cognitionem rerum, quæque ad naturæ inueſtigationem pertinent, ita paſſim in ſua poëſi princeps aſperſit Homerus, vt philoſophi ſua decreta, ſuáſque rationes ab eo ſumſiſſe videantur? Thales Mileſius principium rerum aquam eſſe dixit: hoc anteà ſenſerat Homerus:

ὠκεανός θ' ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται.

Cunctarum Oceanus ſemen genitabile rerum.

Xenophanes Colophonius duo principia rerum conſtituit aquam & terram: Homerus omnia in aquam,& terram reſolui exiſtimat hoc verſu:

ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.

At vos in terram, & liquidas abeatis in vndas.

Empedocles ex quattuor elemẽtis oriri omnia, & in ea interire putauit, adiunctis tamẽ duobus aliis principiis amicitia, & lite: per quæ elementorum qualitates partim cõcordeis, partim inter ſe contrarias ſignificat: Homerus hanc quattuor elemẽtorum diſcordem cõcordiam, per furtiuum Martis, & Veneris concubitum non obſcurè deſcribit, per Martem diſcordiam, & inimicitias: per Venerem concordiam, & amicitiam deſignans. Iam Apollo à Neptuno aſſiduè & implacabiliter diſſidẽs quid aliud declarat, quàm calidum, & ſiccum, frigido, & humido contrarium? Pallas cum Marte continuũ bellum gerens quid aliud indicat, quàm rationem parti animi rationis experti inimicam, atque aduerſariam? Idem multis locis profitetur mundum eſſe vnum, non vt Epicurus balbutit, innumerabileis: mundum finitum, non, vt ille ſomniat, inane infinitum: Solis, & aliorum ſiderũ magnitudinem, curſum, ortum, obitum non ignorat: terræ motuum cauſas, ventorum naturas perſpectas habet, & cognitas. Iam verò quo in ſcriptore maior, quàm in Homero religio elucet? Nulla apud eum mundi pars Deo vacat. en Iupiter in cælo, Iuno in aëre, Neptunus in mari, Orcus in terrá, atque apud inferos. nihil hæc quidem ad religionem noſtrã, immò verò maximè cum ea pugnant. Veruntamen nobis in præſenti ſatis eſt, nihil in

poëſi

poëſi Homerica Deo vacuum,id eſt,nihil atheum reperiri. Itaque quemadmodum Romani mentem,virtutem, fidem, honorem, libertatem, concordiam,ſalutem,& ſimilia conſecrarūt: ita apud Homerum, ſinguli Dij ſingulis rebus prę̨ſunt:Pallas virtutis, & ſcientiæ dominatum obtinet: Vulcanus ignis, earúmq; artium, quæ ſine igni exerceri non poſſunt:Apollo chori:Muſæ cantionum: Mars belli:Æolus vẽtorum:Liber vini:Ceres frugum: Nymphæ aquarum: Venus rerum ſuarum. denique quis vnquam Stoicus,ſiue Cleanthem,ſiue Chryſippum mihi narres, tam accuratè Deorū prouidentiam defendit, quàm Homerus tota ſua poëſi probat,& confirmat? Idem quot locis oſtendit animos noſtros eſſe incorporeos, & immortaleis? mentem hominis, hominem eſſe? Plato treis facit animi ſiue parteis, ſiue poteſtates: ex quibus rationem conſtituit in capite, vim iraſcẽdi in corde, poteſtatem concupiſcendi in iecore. ab Homero eſt huiuſmodi & locorum,& partium animi diſtinctio.Philoſophorū tot,& tam variæ de ſummo bono, & de vita beata ſententiæ, omnes apud Homerum reperiuntur. Zeno ſummum bonum in virtute locauit: hoc multis item locis non obſcurè probat Homerus. Peripatetici in bonis animi,corporis,fortunæ,ita vitam beatam poſuerūt, vt tamen primas parteis bonis animi, ſecundas bonis corporis, tertias fortunæ muneribus tribue-

rent. Hanc ſentẽtiam licet videre Homeri auctoritate comprobatam, atque adeò fundatam. Vlyſſes apud Alcinoum vinum, epulas, conuiuarum hilaritatem, citharæ cantum, & ſimilia, finem vitę humanæ optatiſſimum, & iucundiſſimum eſſe dicit. hoc Ariſtippus, Eudoxus, Epicurus, Metrodorus arripuerũt. Itaque ſummum bonum aut in ventris abdomine, aut in voluptate, & iucundo corporis ſenſu, aut certè in non dolendo poſuerũt. Homerus facit Heroas interdum cum equis, & canibus ſermocinanteis, hominúmque animos in animantium rationis expertium corpora migranteis. Ex eo fortaſſe Pythagoras, & eum ſecutus Plato, ſuam illam μετεμψύχωσιν traxerunt. Homerus Sirenas facit non vocum ſuauitate, aut cantandi varietate Vlyſſem, & eos, qui præteruehebantur, reuocare ſolitas, ſed eò maximè, quòd multa ſe ſcire profitebantur, vt homines ad eorum ſaxa diſcendi cupiditate libenter adhæreſcerent. ſic enim Vlyſſem inuitant:

Δεῦρο ἄγε δὴ πολύαιν' Ὀδυσεῦ, μέγα κῦδος Ἀχαιῶν,
νῆα κατάστησον, ἵνα νωϊτέρην ὄπ' ἀκούσῃς.
οὐ γάρ πώ τις τῇδε παρήλασε νηῒ μελαίνῃ,
πρὶν γ' ἡμέων μελίγηρυν ἀπὸ στομάτων ὄπ' ἀκοῦσαι.
ἀλλ' ὅγε τερψάμενος νεῖται, καὶ πλείονα εἰδώς.

quos verſus ſic vertit M. Tullius:

O decus Argolicum, quin puppim huc flectis Vlyſſes,
Auribus vt noſtros poſsis cognoſcere cantus?

Nam

Nam nemo hæc vnquam eſt tranſuectus cærula curſu,
Quin prius aſtiterit vocum dulcedine captus.
Poſt variis auido ſatiatus pectore Muſis
Doctior ad patrias lapſus peruenerit oras.

Ex hoc loco, & ſimilibus credibile eſt Herillum ſcientiam vltimum bonorũ eſſe iudicaſſe. Ita philoſophi ſua decreta aut ex Homero ſumſerũt, aut, ſi cui hoc non videtur vſquequaque verum, certè Homeri teſtimonio, atque auctoritate confirmarunt. Licet intelligere ex ſcriptis Platonis, Xenophontis, Ariſtotelis, Theophraſti, Plutarchi, quàm putent interdum ſuas rationes parum firmamenti habituras, niſi Homeri teſtimonio nitantur. Ne hiſtorici quidem Herodotus, Thucydides, Polybius, Dionyſius Halicarnaſſeus, Diodorus Siculus, ceteri multis in rebus ſine Homeri tabulis fides vt ſibi habeatur, audent poſtulare. Ab eodem quàm vtiles, quàm graues, quàm præclarę ſententiæ paſſim, ſuo tamen quæque loco admiſcentur? quod genus,

οὐ δεῖ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.
Haud par eſt noctem totam indulgere ſopori
Illum, in conſilio cuius res ſumma repoſta eſt. &
κρείσσων γὰρ βασιλεὺς, ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηϊ.
Plus rex námque poteſt, cum iraſcitur inferiori. &
νήπιοι, οἳ Ζηνὶ μενεαίνομεν ἀφρονέοντες.
Vt pueri ſuperis iraſcimur inſipientes. &
οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω.

Multorum dominatus inutilis: imperet vnus. &
τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε, θεῶν τε.
Tales ſunt hominum mentes, quali ipſe deorum,
Atque hominum genitor luſtrarit lampade terras. &
ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται, μάλα γ' ἔκλυον αὐτοῦ.
Qui pâret ſuperis, erit huic quoque Iupiter æquus. &
οὕτως οὐ πάντεσσι θεοὶ χαρίεντα διδοῦσιν
ἀνδράσιν, οὔτε φυὴν, οὔτ' ἂρ φρένας, οὔτ' ἀγορητύν.
Non cunctis optata viris dant munera diui,
Nō corpus pulchrum, aut mentē, linguámue deſertā. &
εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.
Pro patria vna auis eſt longè optima cernere vitam. &
ὦ πέπον· εἰ μὲν δὴ πόλεμον περὶ τόνδε φυγόντες
αἰεὶ δὴ μέλλοιμεν ἀγήρω τ', ἀθανάτω τε
ἔσσεσθ', οὔτε κεν αὐτὸς ἐνὶ πρώτοισι μαχοίμην,
οὔτε κέ σε στέλλοιμι μάχην ἐς κυδιάνειραν·
νῦν δ' ἔμπης γὰρ κῆρες ἐφεστᾶσι θανάτοιο
μυρίαι, ἃς οὐκ ἔστι φυγεῖν βροτὸν, οὐδ' ὑπαλύξαι.
O mollis: ſi ex hoc bello nunquam ægra ſenectus
Saluos, nunquam pallida mors nocte integat atra,
Non equidem primos inter pugnare cruentus
Suſtineam, neque te ad pugnam, aut ad vulnera mittā:
At nunc circumſtant nos mille pericula lethi,
Quæ effugere haud vnquam liceat mortalibus ægris.

Sexcentas alias huius generis ſententias commemorare poſſem, quas poëtæ, cæteríque ſcriptores ætate poſteriores aliquantum immutatas, vt ſolēt fures,

fures,qui earum rerũ,quas furati ſunt,notas vel delent,vel corrumpũt, paſſim in ſuis ſcriptis vſurparunt. Quòd ſi velim vnius Virgilij poëtarum Latinorum principis ſententias ex Homero vel pudenter expreſſas, vel mutuò ſumtas, vel ſubreptas referre, alterius longioris orationis mihi naſcatur exordium. Itaque hanc totam rem ſuis locis indicandam reſeruare malo. Age hominum affectus quàm illuſtribus quaſi coloribus depingit? Iram hoc modo:

—— μένεος δὲ μέγα φρένες ἀμφὶ μέλαιναι
πίμπλαντ᾽, ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην.
Illi autem immenſus præcordia ſpiritus atra
Oppleuit, ſimul ex oculis flammæ extitit ardor.

Metum ſine vitioſo habitu metuentis, ſic:

—— σὺν δὲ γέροντι νόος χύτο, δείδιε δ᾽ αἰνῶς,
ὀρθαὶ δὲ τρίχες ἔσταν ἐνὶ γναμπτοῖσι μέλεσσι.
At mens eſt turbata ſeni, gelidóque timore
Contremuit, ſteterúntque pili per frigida membra.

Metum ex ignauia profectum, hoc modo:

τοῦ μὲν γάρ τε κακοῦ τρέπεται χρὼς ἄλλυδις ἄλλῃ,
οὐδέ οἱ ἀτρέμας ἧσται· ἔρυται τ᾽ ἐν φρεσὶ θυμός·
ἐν δέ τε οἱ κραδίη μεγάλα στέρνοισι πατάσσει
κῆρας ὀϊομένῳ, πάταγος δέ τε γίνετ᾽ ὀδόντων.
Namque homini ignauo variantur mille colores,
Nec mens certa ſede manet, rapitúrque modò illuc
Cæca, modò huc: ſubter præcordia palpitat ægrum
Cor mortem expectans, ſtridor fit dentibus ingens.

pauorem,& exanimationem ſic:

—— τῆς δ' αὐτοῦ λύτο γούνατα, καὶ φίλον ἦτορ·
Δὴν δέ μιν ἀμφασίη ἐπέων λάβε. τὼ δέ οἱ ὄσσε
Δακρυόφιν πλῆσθεν· θαλερὴ δέ οἱ ἔκπεσε φωνή.

Tum verò illius mens eſt reſoluta pauore:
Genua labant: lingua infracta eſt, vox faucibus hæret:
Ora madent lacrymis, tenuis vox excidit ore.

Mærorem hoc pacto:

ἑζόμενοι δὲ καταῦθι γόων· τίλλοντο δὲ χαῖτας.

Vellebántque comas palmis, flentéſque ſedebant.

& alibi:

Ἀμφοτέροισι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν
χεύατο κακκεφαλῆς, χάριεν δ' ᾔσχυνε πρόσωπον.

Ille autem cinere infuſo caput, óſque decorum
Fœdat, & infuſa geminis fuligine palmis.

Licet alios animi affectus ſimiliter peragrare dicẽdo. Quid iam orationis pigmenta, & ea, quæ verborum, & ea, quæ ſententiarum dicuntur ornamẽta, quæ Græci τρόπους, & σχήματα nominant, commemorem? Quænam aut apud Gorgiam, & Iſocratem λογοδαιδάλους illos, egregióſque faciendæ, & poliendę orationis artifices, aut apud Demoſthenem & Æſchinem ſummos, & perfectos oratores reperiuntur verborum, & rerum lumina, quibus Homeri poëmata non ſint diſtincta, variata, atque illuſtrata? Diſſimileis porrò dicendi characteres nonne cùm in aliis perſonis pro rerum, & cauſarum varietate luculentè exprimit, & repreſentat, tùm

tùm tribus Græciæ principibus ſuum cuique accommodat,atq; affingit?cum Menelaum facit pauca quidem, ſed apta ad perſuadēdum loquentem, miniméq; ab eo,quod ſibi propoſuit, aberrantem?

παῦρα μὲν (inquit) ἀλλὰ μάλα λιγέως· ἐπεὶ οὐ πολύμυθος,
οὐδ᾽ ἀφαμαρτοεπής.---

Neſtorem autem eos, à quibus audiretur, delectantem,ac permulcentem potius, quàm permouentem.Itaque ex eius ore fluere orationem melle dulciorem:

τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Vlyſſem verò ingentem è pectore vocem mittentem, verbáque imbribus hibernis ſimilia profundentem,denique genere dicendi grādiloquo, elato,volubili, incitato, cōtorto, animos auditorum impellentem, commouentem, concitantem, inflammantem.Sic enim de eo Homerus ſub Helenæ perſona:

ἀλλ᾽ ὅτε δὴ ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἵει,
καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν,
οὐκ ἂν ἔπειτ᾽ Ὀδυσῆΐ γ᾽ ἐρίσσειε βροτὸς ἄλλος.

Poſſem etiam oſtendere multarum herbarum,& radicum virtutes,ac poteſtates Homero fuiſſe notiſſimas:totam hominis fabricationem,omníſque naturæ humanæ figuram, ac perfectionem eidem fuiſſe cognitam & perſpectam:nullam regionem, nullum Grçciæ locum,nullam pugnam,nullam aciem,nullius animātis naturam, nullam plantam,

nullam gemmam, nihil denique, quod intra hunc ingentem cæli ambitum aut à natura gignatur, aut ab arte fiat, aut in hac vita quotidiana hominibus accidat, Homero fuiſſe ignotum: immò verò nihil nō ita ab eo eſſe deſcriptum, vt illa omnia coràm oculis cernere videamur. Sed me dies, vox, latera, & fortaſſe veſtra ad me audiendum promtiſſima voluntas deficiant, auditores, ſi cetera, quę de Homero dici poſſunt, non modò ſingillatim enumerare, ſed, quemadmoum tota mea oratione feci, aceruatim, & vniuerſè perſtringere velim. Quamobrem ne vos prius me tam attētè audiendi finem faciatis, quàm ego dicendi, perorabo, ſi pauca quædam, quæ & ad meas, collegarúmque meorum clariſſimorum virorum parteis, & ad veſtra ſtudia pertinent, addidero. Quod igitur ad noſtras parteis attinet, auditores, neminem veſtrū dubitare arbitror, quin ego, & illi cogitationes omneis, & curas noſtras ad ſtudia veſtra conferamus. Id iam pridem in viris illis doctiſſimis, qui mathematicas arteis, qui philoſophiam, qui medicinam, qui litteras Hebraicas, qui Græcas, qui Latinas profitētur, eſtis experti. De mea autem diligentia ſi nondum etiam ſatis potuiſtis in alterutram partem iudicare, propterea quòd non ita pridem hāc Regiam publicè docēdi prouinciam nactus ſum, dabo operam, vt cùm in Homero, tùm in aliis ſcriptoribus Græcis, quos ego vobis, Deo

Op-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Optimo Max. bene iuuante, atque approbante, poſthac interpretabor, liquidò perſpiciatis. De ſtudiis autem veſtris ſuadeo vobis, qui doctrinæ laudibus florere cupitis, qui ingenuarum artium ſtudio flagratis, qui magna ſpectatis, vt hoc in animũ inducatis, nihil vos vnquam in vlla diſciplina, aut parum admodum profecturos, nihil nimis præclarum, nihil magna laude dignum in vlla arte libero digna, aſſecuturos, niſi cum litteris Latinis Græcas coniungatis: quibus docendis, quoniam nunc à Rege præpoſitus ſum, polliceor vobis, me cum Io. Aurato, viro in his litteris exercitatiſſimo, enixè elaboraturum, vt hoc ſtudium vobis néue magnopere difficile, néue nimis longum videatur. Atque iccircò ab Homero potiſſimum ordiri volui, vt vna opera, vnóq; tempore & multarum rerum cognitionem, & huius linguæ vim, proprietatem, vſum ex eodem fonte hauriamus. Conſtitui enim in hoc diuino poëta explicãdo & rudioribus commodare, & mediocriter eruditis conſulere: hoc eſt, & iis, qui ex Homero nihil prętер verborum interpretationem, linguæq; ſcientiam petunt, & iis qui ſubtiliore quodam, ac politiore iudicio præditi, ea, quæ ab Homero dicuntur, tùm quomodo dicãtur, tùm ad quos veluti fonteis ſint referenda, tùm quam vtilitatẽ ad hanc vitam quotidianam afferant, intelligere volunt. Vtriſque igitur ita me ſatisfacturum eſſe confido, ſi illis ſingu-

larum vocum vim,atq; originem:caſuum,& temporum rationem: analogiam, dialectorum, quas appellant, varietatem diligenter, & accuratè explanaro: his, ſi quæ ad artificium poëticum, quæ ad artem dicendi,quæ ad prudētiam ciuilem,quæ ad mores,quæ ad affectus,quæ ad decorum perſonarum, quæ ad locorum,& regionum cognitionem,quæ ad hiſtoriam, quæ ad fabulas,quæ ad omeis philoſophiæ parteis denique pertinent, breuiter,& enucleatè declararo.

DIXI.